

« Addendum » vero Directorii Catechistici Generalis a Sacra Congregatione pro Clericis die 11 Aprilis 1971 promulgati (AAS 1972, pp. 97-176) consuetudinem praemittendi sacramentum Poenitentiae primae puerorum Communioni his verbis firmat: « Omnibus perpensis, prae oculis habita praxi communi et generali cui per se derogari nequit sine Sedis Apostolicae beneplacito, auditis Conferentiis Episcopalibus, eadem Sancta Sedes expedire iudicat ut vigens in Ecclesia consuetudo praemittendi Confessionem primae Communioni servetur » (n. 5).

Idem documentum consideravit quasdam novas praxes alicubi introductas primum accessum ad Eucharistiam permittentes absque Poenitentiae sacramenti susceptione, sinens tantum ut illa experimenta ad tempus quidem protrahi possent « sermone cum Sede Apostolica prius habito atque cum eadem Sede ... animo uno » (*ibidem*).

Re attente considerata ac prae oculis habitis Episcoporum optatis, Sacrae Congregationes pro Disciplina Sacramentorum et pro Clericis, praesenti hoc documento, adprobante Summo Pontifice Paulo VI, declarant huiusmodi experimentis, iam duobus transactis annis, finem imponendam esse una cum conclusione anni scholaris 1972-1973, ac proinde obtemperandum ubicumque et ab omnibus Decreto « Quam Singulari ».

Datum Romae, die 24 Maii 1973.

ANTONIUS CARD. SAMORÉ, *Praef.*
JOHANNES CARD. WRIGHT, *Praef.*

Circa la sepoltura ecclesiastica

La Nunziatura Apostolica in Italia, con lettera n. 4354/73 del 18.VI.1973, trasmetteva la seguente circolare.

SACRA CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI - PROT. N. 1284/66 - ROMAE, 29.V.1973

Complures Conferentiae Episcopales et multi loci Ordinarii ab hac Sacra Congregatione petierunt, ut mitigetur hodierna praxis sepulturae ecclesiasticae eorum fidelium, qui in hora mortis in conditione matrimoniali irregulares inveniuntur.

Opiniones et consilia quae nobis hac in re pervenerunt, diligenter studio ab hoc Sacro Dicasterio prosecuta, Congressui plenario Congregationis anni 1972 pro examine subiecta sunt.

Quo in Congressu Patres decreverunt, Summo Pontifice adprobante, faciliorem esse reddendam celebrationem sepulturae ecclesiasticae pro iis fidelibus catholicis quibus ad normam can. 1240 prohibita fuit.

Huic canonii quatenus opus est derogando, quam primum nova norma promulgabitur, qua non prohibebitur celebratio exsequiarum religiosarum iis fidelibus, qui, quamvis ante mortem manifesta in condicione peccati inveniantur, adhaesione Ecclesiae servaverunt signumque quoddam poenitentiae dederunt, dummodo absit publicum scandalum aliorum fidelium.

Fidelium autem communitatisque ecclesiasticae scandalum eadem proportione attenuari vel vitari poterit, qua pastores modo convenienti exsequiarum christianarum sensum illustrabunt, quem perplures in recursu ad Dei misericordiam et in testimonio fidei communitatis in resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi deprehendunt.

Praesentibus litteris rogo Excellentiam Tuam, ut cum Ordinariis istius Conferentiae Episcopalis communicare faveas, quod brevi tempore publici iuris fiet textus novi decreti de sepultura ecclesiastica cum effectu immediato ab ipsa die eius notificationis.

Haec Tecum communicans omni qua par est reverentia permaneo

Tibi addictissimus

H. HAMER, *a Secr.*

F. CARD. SEPER, *Praef.*

Edizione italiana del Lezionario feriale «per annum» II

SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO - PROT. N. 386/73

DIOECESIUM ITALIAE

Instante Eminentissimo Domino Antonio Card. Poma, Archiepiscopo Bononiensi, Praeside Coetus Episcoporum Italiae, litteris die 14 februarii 1973 datis, vigore facultatum huic Sacrae Congregationi a Summo Pontifice PAULO VI tributarum, interpretationem italicam ordinis Lectionum Missae pro feriis, anni II, prout exstat in exemplari ad hanc Sacram Congregationem transmesso, perlittere probamus seu confirmamus.

In textu autem imprimendo mentio fiat de confirmatione ab Apostolica Sede concessa. Eiusdem insuper textus impressi due exemplaria transmittantur ad hanc Sacram Congregationem.